

sterium. Itaque opus est ut assistentia divina prohibens errorem fuerit Ecclesiae h. e. eius magisterio supremo et universali docendi promissa absolute; porro magisterium hoc est ipsum magisterium Romani Pontificis: ergo.

Non igitur opus est nosse quibus mediis sit usus et an sit usus Romanus Pontifex pro decreto fidei condendo, antequam credamus; ratio enim sufficiens et adaequata cur credamus haec est, quia Pontifex loquitur, et Pontificem loquentem assistit Spiritus S. ne erret.

Nihilominus si constet decretum aliquod fidei vel subscriptionem formulae fidei vi sive physica sive morali extortam esse; eo ipso iam constat definitionem non esse ex cathedra. Nam definitio ex cathedra est actus supremae potestatis, ideoque independens, qui eo motivo ponitur ut homines doceantur, et ad credendum obligentur: talis porro non est actus ex coactione positus, vel ad redimendam iniustam vexationem; quia non est actus potestatis, sed physicae subiectionis, et quo nec praesumitur superior velle obligare subditos, eosque docere.

Dices: quomodo igitur inter ea quae Romani Pontifices praecedentes docuerunt, licebit discernere definitiones fidei ab iis quae tales non sunt? neque enim omnia quae iidem asseruerunt, habentur ut definitiones fidei. Respondeo normam eam esse quam suppeditat Synodus Vaticana, cum nempe Romanus Pontifex quilibet Pastoris et Doctoris Ecclesiae munere fungens doctrinam definivit quae tenenda esset ab universa Ecclesia. Quod si hic modus propter monumentorum defectum lateat, considera sequentem effectum: si enim ea doctrina viguit deinceps in Ecclesia, nec aliam repereris definitionem, affirmare poteris illam fuisse definitionem fidei. Si e contrario alia quoque doctrina opposita perseveravit, ipsa sciente et permittente multo magis si probante Romana Sede, affirmare tibi licebit illam non fuisse definitionem fidei. Haec, statuta certitudine dogmatis de infallibilitate Romani Pontificis, satis clara sunt. Quod si nihil eiusmodi reperias, consequens erit ignorare te an aliquis Pontifex aliquando definiverit ex cathedra, nec ne. Ex qua quidem ignorantia nihil oritur incommodi nisi forte pro historicis: non enim minuitur numerus rerum definitarum et explicite credendarum, sed solum notitia historica eaque certa actuum definitientium. Sane vel etiam tum cum edita fuit ea definitio, fuit dubium Ecclesiae an esset nec ne definitio, et eo ipso ob defectum debitae manifestationis illa effectum suum non est assecuta, neque auxit numerum rerum definitarum: si autem tunc fuit omnibus certa definitio, creditum est tunc ab universa Ecclesia quod ea proponebatur, et quod tunc cre-

ditum est non potuit non credi postea: unde et modo ea omnia tanquam infallibili auctoritate proposita credimus quae prius credebantur; licet forte historice ignoremus quis prior definiverit.

#### THESIS XXXII.

*Ut sententia Romani Pontificis habeatur tanquam definitio ex cathedra, ideoque infallibilis, censemus non opus esse ut verba Pontificis ad universam Ecclesiam immediate dirigantur.*

I. Quaestio haec inter theologos agitari potest, nostramque sententiam ut probabilior defendimus.

Sane ex definitione Vaticana haec elementa certe sufficiunt ut definitio Pontificis sit et habeatur infallibilis, 1) quod auctoritate sua Apostolica utatur fungens munere Pastoris et Doctoris omnium Christianorum: 2) quod definiat doctrinam de fide vel moribus: 3) quod definiat doctrinam tenendam ab universa Ecclesia. Atqui haec omnia Pontifex praestare potest etsi unum Episcopum immediate alloquatur, quemadmodum fecit Leo epistola sua dogmatica ad Flavianum. Etenim, ut praecidantur difficultates, advertendum est a) quod aliud est sermonem dirigere ad universam Ecclesiam, aliud est sancire doctrinam tenendam ab universa Ecclesia: in priore enim id, quod ad universam Ecclesiam refertur, est sermo, sive subiectum loquens; in posteriore autem est obiectum sive doctrina quam loquens proponit: porro non prius sed posterius a definitione vaticana postulat. Advertendum est b) aliud esse quod quis fungatur munere doctoris omnium Christianorum, et aliud quod quis simul doceat omnes christianos. Sic magister fungitur munere doctoris suae scholae, cum vel unum discipulum corripit et docet: sic rex fungitur munere rectoris totius societatis cum vel unum civem facinorosum capite damnat. Scilicet auctoritatis, quae se extendit ad omnes, exercitium potest esse multiplex, et cum eidem auctoritati subsint omnes et singuli, tum erga omnes simul, tum erga singulos immediate ipsa exerceri potest. Unde cum erga unum Princeps auctoritatem suam exercet, exercet eam auctoritatem qua praeest omnibus, nempe qua Princeps est, totiusque regni caput. Itaque etsi Romanus Pontifex ad unam Ecclesiam literas suas dirigat, fungi potest munere doctoris omnium, suaque apostolica uti auctoritate, ac definire doctrinam fidei aut morum, quae tenenda sit ab universa Ecclesia; atqui cum ita se gerit, eius definitio est infallibilis; ergo ut eius definitio et infallibilis sit et habeatur, necesse non est ut ad universam Ecclesiam immediate verba Pontificis dirigantur.

Et sane infallibilis est certe Romanus Pontifex cum fungitur munere Confirmatoris fratrum, hoc enim est munus Doctoris omnium Christianorum; atqui munus ipsi iniunctum a Christo confirmandi fratres nequit ita accipi, ut exerceri non possit nisi simul omnes indigeant confirmatione; sed confirmare eos debet qui indigent, qui petunt confirmari: quando ergo eos confirmat, infallibilis sit oportet, secus non confirmaret.

Diximus *immediate* dirigi verba Pontificis ad aliquos tantum; mediate enim et virtualiter ad omnes diriguntur: fides enim Ecclesiae una esse debet, nec potest esse in ea varietas sicut in disciplina: si ergo decretum fidei aliquod a Romano Pontifice aliquibus proponitur, eo ipso intelligitur quod ipsum spectet ad omnes, omnesque credere teneantur. Quare ideo uni vel aliquibus tantum illud decretum enunciatur, quia videntur illi tantum indigere confirmatione, vel quia desciscunt a communi fide, vel quia flagitant ipsi iudicium Romanae Sedis.

Quare ut ea definitione fidei ceteri quoque fideles obligentur, opus erit quidem ut ipsis authentice innotescat eam esse definitionem cathedrae Romanae, quod et primis, quibus data est, opus fuit; sed non erit opus alia definitione.

II. Quod ex analysi definitionis Vaticanae collegimus, id historia quoque confirmatur. Sane decretum Innocentii in causa Pelagiana ad solos Africanos missum fuit, et tamen causam finitam esse dicebat Augustinus. Leo epistolam suam dogmaticam datam ad Flavianum, etiam antequam a ceteris cognosceretur, habebat tanquam normam infallibilem qua Constantinopoli controversia fidei finiretur; in hunc enim finem missa est. Hormisdas professionem fidei ad solos Orientales Episcopos direxit; continebat quidem fidem universae Ecclesiae, sed non ad universam Ecclesiam ea professio est directa. Proscriptio errorum Baii a Pio V facta soli universitati Lovaniensi est authentice intimata, et nihilominus obedientia fidei a Baio eiusque asseclis tum quoque postulata. Unde et Iustiniano Imperatori satis erat ad certitudinem Fidei responsum sibi Ecclesiisque Orientis directum ab Apostolica Sede « Illud enim credimus esse catholicum quod vestro religioso responso nobis fuerit intimatum » (epist. ad Agapetum Concc. Mansi Tom. VIII. p. 846).

#### SCHOLION

Quaeri solet an Pontifex, ut privata persona est, cum actu non fungitur munere Doctoris Ecclesiae, errare possit in fide. Quaestio propria est de errore circa articulum fidei iam definitum ita ut si voluntarius sit vera sit haeresis. Quidam negant cum Bellarmino

(De Rom. Pont. L. IV. c. 6.). Verum cum id fieri posse veteres supposuerint, ipsique Pontifices idem satis significaverint (cf. Innocentium III Serm. 2<sup>o</sup> de Consecratione sua. « In tantum fides mihi necessaria est, ut cum de ceteris peccatis solum Deum iudicem habeam, propter solum peccatum quod in fide committerem possem ab Ecclesia iudicari » et Adrianum II allocutione 3<sup>o</sup> lecta in Syn. VIII. act. 7<sup>o</sup>) permiserintque in Decreto Dist. XL. c. 6. legi verba Bonifacii Archiepiscopi Moguntini: « Culpas (Rom. Pontificis) istic redarguere praesumit mortalium nullus, quia cunctos ipse iudicaturus a nemine est iudicandus, nisi forte deprehendatur a fide devius »: censemus non oportere nos, plusquam ipsa Romana Sedes, sollicitos esse de hac praerogativa asserenda successoribus Petri. Allata quidem verba accipienda sunt de Pontifice privatim errante in rebus iam definitis aut aequivalenter traditis in Ecclesia (§. XXI, n. VII); nam circa alia nullum iudicium institui posset.

Quaeres quid de eorum Theologorum et Canonistarum sententia dicendum sit, qui aiunt in casu haeresis Pontificem deponi posse. Respondeo 1) casum esse hypotheticum, qui forte nunquam realis fuit aut erit: 2) admissa hypothesi, ea sententia sic accipienda est, ut Pontifex obstinatus in haeresi (*obstinatum* inquam: si enim ipse Ecclesiae monenti cedit, nihil superest agendum) non ab homine sed ab ipso Deo deponatur auferente ab eo iurisdictionem datam: Ecclesia vero tantum declaret ipsum esse haereticum, ideoque a Deo iurisdictione spoliatum (Suarez l. c. c. 7. n. 5).

Quaeres an probari possit immunitas privata ab errore quoque materiali in rebus nondum definitis ex verbis Christi Lucae XXII hac ratione. Christus ait: *Ego rogavi pro te ut non deficiat fides tua, et tu aliquando conversus confirma fratres tuos*; porro ibi duo distinguuntur, nempe confirmatio fratrum, quae fit per publicam fidei praedicationem, et indeficientia fidei, ea exhibetur veluti consequens, haec est antecedens; unde indeficientia fidei exorata et impetrata a Christo praecedat ipsam publicam praedicationem: idcirco non est tantum infallibilis cum Doctoris fungitur munere, sed semper et in iis quae nondum sunt definita, et possunt ab eo definiri.

Respondeo necesse non esse ut fides indeficiens sit re distincta a Fratrum confirmatione, sed satis est quod ratione distinguatur. Nimirum si praedicatio fidei authentica et sollemnis est infallibilis, potest confirmare fratres, unde eadem est fides infallibilis et confirmans, quae propter proprietatem infallibilitatis habet et vim confirmandi. Quare cum indeficientia fidei impetrata sit Pontifici in hunc finem ut confirmet Fratres; ea tantum ex verbis Christi necessario

colligi potest, quae illi fini necessaria est et sufficit: huiusmodi porro est infallibilitas authenticae praedicationis.

Ea tamen privata immunitas saltem ab haeresi formali, quae a Bellarmino asseritur Pontifici, non esset privilegium confirmationis in gratia seu iustitia; quia cum fide potest esse peccatum: neque esset quoad effectum privilegium adeo singulare; plurimi enim sunt fideles qui nunquam in haeresim labuntur.

#### SCHOLION II.

Quaeritur quoque qualis obedientia debeatur Romano Pontifici aliquid circa doctrinam fidei vel cum ea connexam docenti, quando non ex Cathedra definit; qualisque obedientia debeatur sententiis doctrinalibus congregationum Cardinalium. Iam vero posse aliquid docere Rom. Pontificem quin ex Cathedra definiat manifestum est. Nam factus Pontifex non amittit qualitates communes omnibus, exercitium autem auctoritatis docendi multiplex esse potest; exercitium vero plenum supremae potestatis liberum est illi qui eam obtinet. Dignosci vero potest Romanum Pontificem non loqui identidem ex cathedra; cum enim docens quidem aliquid, tamen non intendit obligationem imponere credendi illud tanquam aliquid tenendum ab universa Ecclesia, sive id non significat se velle, tunc non dicitur loqui ex cathedra, etsi de doctrina loquatur spectante fidem vel mores. Qua in hypothesi non satis bene dicitur loqui ut *doctor privatus*; licet enim non loquatur ex plenitudine auctoritatis, loquitur tamen ex auctoritate; quocirca Romanus Pontifex sic loquens non est detruendus in censum quorumque doctorum privatorum nullam habentium auctoritatem.

Respondemus ergo priori quaestioni hoc pacto. Magisterio Romani Pontificis etiam non loquenti ex cathedra debetur 1<sup>o</sup> obsequium silentii, h. e. publice non est ei contradicendum, vel opposita doctrina defendenda, nisi constet ipsum permittere quod de ea re inter catholicos disputetur sive ut clarius veritas relucescat, sive ad absolvendum stadium inquisitionis pro sollemni definitione, sive ex alio motivo. Sane obsequium illud postulat reverentia debita Summo Pastori, quam aperta contradictione violari nemo non sentit.

Debetur ei 2<sup>o</sup> etiam assensus quidam religiosus, cum nihil est quod suspensionem assensus prudenter suadeat. Explico terminos. Non dicimus deberi assensum fidei catholicae, cum non proponatur doctrina tenenda ab universa Ecclesia; nec dicimus deberi assensum formaliter fidei divinae, hic enim assensus innititur propositioni infallibili quae talis esse constet, in hypothesi vero deest talis propositio. Potest tamen hic assensus ab habitu fidei elici, ut postea ex-

plicabitur. Nec dicimus esse assensum metaphysice certum (cf. quae de tali certitudine disputavimus in Critica Th. IX); nam non existente certitudine infallibilitatis, hoc ipso videtur quod non est impossibilis error, ideoque videtur quod possit oppositum esse verum: qua cognitione existente nequit habere locum certitudo metaphysica. Dicimus itaque assensum esse moraliter certum; et ideo si motiva appareant, sive vera, sive falsa sed ex errore inculpabili, quae aliter suadeant, cum in his adiunctis voluntas non imprudenter agat suspendendo assensum, non dicimus tunc deberi assensum. Tandem assensum vocamus religiosum tum ratione obiecti circa quod versatur, tum ratione motivi cui innititur, ut modo explicabimus.

Sane cum aliquid omnibus vel pluribus doctis ac peritis videtur, nec tibi occurrit ratio oppositum suadens, temere refragaris, et temere dissentis etiam interius. Quod valet vero in pluribus doctis et peritis generatim, id multo magis valet in iis pluribus doctis ac peritis quos Deus speciali institutione constituit magistros, et quos certum est speciali providentia regi ut munere suo rite fungantur. Atqui quod in his valet, valet etiam et potissimum in eo qui licet unus sit, tamen est a Deo constitutus Pastor omnium, maiorique auxilio divino fretus, ac pluribus humanis praesidiis instructus est pro agnoscenda veritate. Etenim vis consensus plurium, qui moralem certitudinem gignit, in eo est quod probabile maxime sit causas erroris deesse: atqui in his adiunctis sive ratione praesidiorum quibus est instructus Pontifex sive ratione specialis providentiae divinae est pariter maxime probabile causas erroris deesse: ergo.

Sane ius docendi quod Romano Pontifici competit non tale est ut exerceri non possit nisi actu sollemni quo universae Ecclesiae obligatio imponitur credendi, sed exerceri etiam potest citra huiusmodi sollemnitatem; nam est ius ordinarium et constans, bonumque fidelium exigere potest ut frequenter exerceatur etiam cum opportunum non sit sollemnem edere definitionem. Porro huic iuri per se respondet assensus mentis; est enim ius dirigendi mentes (§. XX): oportet autem ut assensus qui debetur respondeat vi magisterii quod exercetur; igitur debetur in his casibus assensus religiosus, quia magisterium est religiosum, et in re religiosa versatur, assensus debetur firmus certitudinis morali, quia motiva huius certitudinis committantur istud magisterium, ut dictum est.

Huc quoque proinde spectare arbitramur quod refert Bellarminus de R. P. L. IV. c. 2. inquit: « inter catholicos convenit... Pontificem solum, vel cum suo particulari concilio aliquid in re dubia statuentem, sive errare possit, sive non possit, esse ab omnibus fidelibus obedienter audiendum ».

Dicimus hunc assensum ab habitu fide elici posse. Potest enim habitus elicere actus tum secundum suam speciem perfectos, tum imperfectos retinentes tamen rationem aliquam communem: eo ipso enim quod potestas habitus est ad aliquid perfectum, est etiam ad id quod in eodem genere est imperfectum et veluti inchoatio perfecti. Iam vero cum Pontifex docet licet nondum peremptorie definiens aliquid tanquam revelatum, assensum elicis in id quod proponitur ex motivo auctoritatis divinae quae tibi moraliter certa est ex magisterio Pontificis, eo quod moraliter certum est ipsum non errare: est quidem assensus imperfectus ex parte firmitatis; retinet tamen rationem communem assensus fidei ex parte obiecti: non est tamen formaliter assensus fidei divinae, quae nequit esse nisi certa. Quod si Pontifex eodem pacto proponat aliquam veritatem connexam cum veritate divina, assensus in eam erit imperfectus actus illius fidei quae magisterio infallibili debetur.

Ita expedita priore quaestione quoad tale magisterium Pontificis, expeditam censemus quoque alteram quoad decreta Congregationum Cardinalium, si nimirum perpendatur ratio quam attulimus pro priore, et advertatur Congregationes Romanas organa esse Rom. Pontificis. Idem scilicet de illis censemus esse dicendum.

Quae ex decretali cuiusdam decessoris Innocentii III in causa dissolutionis matrimonii propter haeresim coniugis, vel ex decreto Inquisitionis in causa Galilaei, aut paucis aliis forte similibus obiici possent, probant solum et exceptionem quam posuimus, et non debere assensum metaphysice certum.

Nota. Ad huiusmodi magisterium Pontificis non sunt referendae literae illae privatae, quibus nihil reapse intendit docere Pontifex, sed solum exhortari animosque addere studiosis viris ad scientiam catholicam illustrandam fidemque tuendam. Cuiusmodi sunt literae SS. Pii IX pro Academia S. Thomae, in quibus certa S. Thomae doctrinae capita recitantur. Idem enim ss. Pontifex declaravit se huiusmodi literis nec voluisse imminuere pretium aliorum quorundam systematum quae in scholis catholicis celebrantur, nec voluisse praestituere exclusivam normam cogitandi quam sapientes sequi debeant, si velint esse catholici. Voluit scilicet commendare simpliciter studium veteris doctrinae scholasticae in iis potissimum quae spectant ad unitatem compositi humani, quae quidem doctrina nec unico systemate olim continebatur, nec excludit scientificos progressus, qui et ex penitiorum rerum analysi et ex subsidio recentiorum scientiarum nati sunt proficisci. Iis proinde literis perperam praeter et contra earum scopum quidam abutuntur.

THESIS XXXIII.

*Frustra sunt qui ut impugnent dogma de infallibilitate Romani Pontificis, demonstrare contendunt aliquem ex Romanis Pontificibus loquentem ex cathedra errasse. Speciatim vero falluntur qui in medium producunt oppositas doctrinas tum Hormisdæ et Ioannis II, tum Nicolai III et Ioannis XXII; atque eiusdem Ioannis sententiam de visione beatifica, ac subscriptionem Liberii, et decretum Nicolai I de forma baptismi; et Stephani VI sententiam quoad ordinatos a Formoso; atque Honorii I epistolas in causa monotheletica; sententiamque Zachariae quoad antipodas, ac Sixti V Bullam in editione Vulgatae, sententiamque cuiusdam decessoris Innocentii III in causa matrimoniali, iudiciumque Romanae Inquisitionis in causa Galilaei.*

I. Etenim id generatim peremptoria demonstratione efficitur: prerogativa enim infallibilitatis Romani Pontificis credenda de fide vera semper fuit; fieri ergo non potuit ut Romanus Pontifex loquens ex cathedra erraverit. Quare difficultates quidem superesse possunt *criticae et historicae*, circa quorundam factorum explicationem, non vero dogmaticae, quae nempe in dubium vocare possint veritatem definitam. Speciminis gratia quasdam ex illis potiores expeditimus difficultates.

Hormisdas, aiunt, damnavit monachos Scythas qui dicebant *unum de Trinitate passum carne*: probavit autem eam propositionem Ioannes II: alteruter ergo erravit. Atqui res ita se habuit. Cum Hormisdæ Pontificis opera res Orientis componerentur sublatis dissensionibus, pace revocata; monachis quibusdam Scythis in mentem venit dicendum esse: *unus de Trinitate passus est vel crucifixus carne*, ut Nestorianis efficacius se opponerent. Non probata fuit ea novitas legis Pontificis, quia videbatur occasio novarum dissensionum, quando adeo aegre veteres sopitae fuerant. Appellarunt Monachi ad Hormisdam, ad quem quosdam ex suis legatis miserunt. Scripserunt ad Hormisdam eius quoque legati, hortantes eum ne morem gereret monachis, non quidem improbantem propositionem in se, sed illius importunitatem ostendentes, et quod causa dissidiorum foret, et Synodo Chalcedonensi iniuria fieret, quasi eius professio sufficiens non esset. Hormisdas auditis monachis nihil definire voluit nisi postquam sui legati rediissent; et cum monachi abire velent, iussit eos detineri. Sed illi, instante reditu legatorum, clam aufugerunt, postquam non pauca temeritatis, studii partium et su-